

15738

DISSERTATIO MEDICO-
INAUGURALIS
DE
MORBIS PRIMI PARIS NER-
VORUM,

QUAM,
ANNUENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE IN UNIVERSITATE CAESAREA
LITERARUM DORPATENSI,

UT
GRADUM DOCTORIS IN UTRAQUE ME-
DICINA RITE ADIPISCATUR,


DIE XXIV. FEBRUARII MDCCCVI, HORA V.

IN AUDITORIO ACADEMICO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUTOR

JOSEPHUS LIBOSCHITZ, VILNENSIS,
MEDICINAE MAGISTER.



DORPATI - LIVONUM,
LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI,

Prooemium.

Et si scripta medica diligenter evolvamur, morborum nervi olfactorii mancam modo et rariorem mentionem factam esse, edocemur. Sic, ut omnia, quae mihi innotuerunt scripta hoc morborum genus spectantia, in scenam adducam, Cl. Fäeslin (a), de Berger (b), Pelargum (Storch) (c), Bonnetum (d), Morgagni (e), Gaubium (f), Cullen (g), et J. Frank (h) nominasse liceat. Ipse Cl. Sprengel (i), in re literaria ita versatus, cum li-

-
- (a) *Disf. de odorat. ejusque laesione.* Basil. 1687.
(b) *Disf. de odorat. ejusque praecip. laesion.* Witeb. 1698.
(c) *Medicinisch. Jahrgaeng.* V. Bd.
(d) *Sépulchret, anatom. pract.* Genev. 1679.
(e) *De sedibus et causis morborum.* Ebrodun. 1779.
(f) *Anfangsgr. d. Med. Krankheitslehr.* Berl. 1784.
(g) *Kurz. Inbegrif d. Medicin. Nosolog.* Leipz. 1786.
(h) *Grundrifs d. Pathologie.* Wien 1803.
(i) *Handbuch, d. Patholog.* Leipzig 1798.

D17055

brum suum pathologicum conscriberet, morbos organi odoratus nec linea quidem adumbravit. Non desunt, qui et morbos cavitatum narium exposuere, sed de affectibus nervi olfactorii altum fere undique silentium. Hisce causis permotus apud animum constitui, hanc materiam, etsi difficilem, quantum in me erit exarandi.

Affectiones nervi olfactorii, quoad naturam suam, ab aliis morbis nervosis parum discrepant, effectus autem, relative ad organon olfactus, diversi aparent.

Ad cognitionem rectam anomaliae cujuscumque corporis humani, notionem status normalis partis affectae legumque zoonomicarum, e quibus functiones ejus moventur, necessariam esse, neminem fore credo, quin concedat. Quamobrem non dubitavi, objecto dissertationis meae, ita consulere, ut I^{mo} descriptionem brevem anatomicam nervi olfactorii, partiumque, per quas transit, praemittam; II^{do} Physiologiae hujus nervi primas lineas repetam; III^o quaedam de Pathologia odoratus exponam; IV^{to} denique, pauca de therapia ejusdem commentaturus.

Caput I.

Anatomia.

§. I.

Nervus olfactorius a veteribus procesus mammillaris dictus a *Theophilo*, secundum *Duglasium*, primum descriptus fuit, dein *Achilini*, *Gabriel de Zerbis*, *Vesalius Willis*, *Lieutaud*, *Sabatier*, *Metzger*, *Scarpa*, plurimique alii ejus originem, decursum finemque rectius exposuere. Nervus olfactorius a cerebro ad membranam usque pituitariam extenditur. Exoritur e basi lobi anterioris cerebri duabus radicibus, quarum exterior longissima, altera interna brevior est. Prima a fissura Sylvii, altera autem a parte posteriori interna superficiei inferioris loborum cerebri anteriorum nascitur. Nonnumquam tres radi-

ces adsunt, interna nempe in duos dirimitur ramulos, quorum unus longior est altero.

Cl. *Hildëbrandt* (k) autem, tres semper in homine adesse contendit. Radices hae coeuntes fasciolam largam v. triangularem efformant, striatam atque insigni mollitie praeditam, qua etiam ramuli quinti paris, organon olfactus adentes, gaudent. In hac fasciculi medullares observantur, quorum filamenta in decursu crassescunt. Uniti rami nunc sub nervi olfactorii nomine antrorsum tendunt, invicem se adpropinquant, latiores fiunt, et in fovea longitudinali lobi cerebri, quasi in vagina peculiari, majore pro parte inclusi, ad os usque cribrosum profiscuntur, ubi in bulbum cinereum, vel, ut plurimi adnotant (l), in Ganglium finiuntur. Ex hoc oriuntur filamenta medullaria, quae priusquam per foramina cribrosa transeunt, duram matrem dimittunt, quae ad os cribrosum adnectitur. Tunc nervi olfactorii, laminam cribrosam, osque cribriforme totum transeuntes, per mem-

(k) Lehrbuch d. Anatom. d. Mensch., IV. Bd.

(l) Malacarn. oservaz. in Chirurg. Tom. I. Caput V. Nestor Kwiatkowski, praefide Metzger, Diss. de Nerv. fluido, decussat., gangliis, Regiomont. 1784.

branam Schneiderianam ramulis tenerrimis, inumerisque distribuuntur. In neonatis cinerei, in adultis autem albidus nervi dicti adparent. *Soemmering*^g in embryonibus cavatos reperit (m). *Gall* autem in praelectionibus suis demonstrat, et in adultis ejusdem conditionis esse, ita, ut partes odoriferae, quasi per infundibulum, seu canalem, ad cerebrum ipsum advolent. Vereor tamen, ne multi sint, qui huic sententiae calculum adjicere suum denegent.

§. II.

Os Ethmoideum necdum efformatum in neonatis reperitur; figurae cubi non absimilis est, cujus facies superior laminam horizontalem refert, cavitatem cranii spectans; anterior ad sinus ossis frontis adnectitur; posterior cum osse sphenoido sociatur; facies inferior ad nares textu cellularis adinstar respicit; duae laterales denique laminas papyraceas sistunt, quae partem internam orbitarum formant. Lamina superior, *cribrosa* nuncupata, per processum, qui *crista galli* vocatur, in duas partes divisa est, cui procesus fal-ciformis adnectitur. Ipsa lamina copiosissimis

(m) Ueb. d. Org. der Seele. Königsb. 1796.

foraminulis pertusa et dura matre obducta est; Septum ossis Ethmoidei e medio laminae horizontalis perpendiculariter ad os vomeris usque descendit. Cum utroque hujus septi latere cellulæ osseae cohaerent, quarum portio superior, os spongiosum superius, inferior autem os spongiosum medium dicitur. —

Ossa spongiosa inferiora ad basin sinus maxillaris efformandam inserviunt, quorum pars anterior eminentia transversali ossis maxillae superioris, posterior vero eminentiae obliquae ossis palatini adnectitur, facies exterior sinus maxillares, interior autem septum narium respicit.

§. III.

Cavitas narium propria desuper ab osse Ethmoideo et sinibus frontalibus, ab averfa parte a sinibus ossis sphenoidaei, a parte inferiori ab osse palatino, e latere a processu nasali ossis maxillaris superioris; a parte antica autem ab ossibus et cartilaginibus nasi terminatur. Haec cavitas a septo narium, quod partim cartilagineum, partim osseum est, in duas cavitates dirimitur. In qualibet earum, conchae iam descriptae vario modo turbinatae haerent. Pars cavi narium inferior

canalem lacrimalem excipit, qui e crista lacrimali, processu frontali, hamulo lacrimali, processu nasali, osse unguis et processu lacrimali ossis spongiosi inferioris formatur.

Sinus frontalis in neonatis vix observantur, qui etiam odoratu prorsus fere carent, aut imperfecto. saltem etiam nunc gaudent. Magnitudo, forma, et numerus horum sinuum variabilis est. Cum cellulis ossis Ethmoidei communicant.

Sinus sphenoidales in neonatis desunt. Sub sella turcica locati, septo osseo in duas cavitates subdividuntur et in cavum narium proprium hiant.

Sinus Maxillares, reliquis maximi, figuram pyramidis quasi quadrangularis aemulantur. cujus facies superior orbitam, inferior alveolas dentium molarium, tertia fossam maxillarem, quarta tuberositatem maxillae superioris respicit.

Totam superficiem internam cavi proprii narium et sinuum adjacentium, membrana pituitaria vel Schneideriana dicta vestit, albida, crassa, mollis, pulposa, folliculis minimis muciparis obfusa, multis arteriis et nervis praedita, anteriore cum cute, posteriori cum ea membrana, quae pharyngem obducit, conjuncta. In cavitate na-

rium propria crasfior, quam in finibus observatur.

§. IV.

Animalia plurima, hominem odoratus acie, longe antecellunt. In hisce etiam, anatomes comparatae ope, nervum primum semper in fine cerebri cavatum reperimus, nec non crasfitie ac longitudine relativa nervi hujus insigni animalia nos superant. Quod, si in objectum illud penitus investigemus, e peculiari cranii et faciei forma animantibus dictis propria non aegre explicatur, quae nimirum odoratus aciei egregie appropriata cernitur. Nasus ipse mire prolongatus. Sinus osium cranii et faciei cavo nasi correspondentium longe ampliores reperiuntur, quod partim per majorem eminentiam ossis maxillae superioris, partim per directionem laminarum ossis frontis efficitur. Sic Elephas tanta sinuum frontium amplitudine gaudet, ut ad os usque occipitis prolongati reperiantur. In cane, insigni odoratus acie praedito, non solum nasum ipsum longiorem, sed conchas etiam majores magisque turbinatas invenimus. Nec minor intercedit differentia, a cranii et faciei structura pendens, inter formam diversarum gentium.

Sic Aethiopes, testantibus *Soemmering* (n) et *Blumenbach* (o) cavo nasi tum longiori excellunt, et sola forsitan hac formae ratione odoratus acie insignes sunt, uti pro certo habemus. Quin imo iam laudatus *Soemmering* (p) in cranio Aethiops laminam cribrosam mire magnam et amplioribus foraminibus perforatam reperiit. Finem cerebralem nervi primi, ubi cavatum invenimus, cum ventriculi anterioris cavo communicare, docuit idem. (q)

Caput II.

Physiologia.

§. V.

Primum par nervorum organon verum esse odoratus, in eo omnes conveniunt, qui leges vitae animalis ejusque phaenomena objectum scrutationis sibi eligerunt. An autem unicum fit, hac de re lis adhuc sub iudice pendet. *Joannes Me-*

(n) Ueb. d. Verschiedenh. d. Neger v. Europa.

(o) Anfangsgründe d. Physiolog. Wien 1789.

(p) L. c.

(q) Ueber b. Organ d. Seele §. 18.

ry (r), ut unum modo testem adducam, in cadavere dissecto nervum primum a fine cerebri ad membranam usque pituitariam, per totum decursum induratum vidit, absque ulla odoratus inopia. Nec non ramuli nervi trigemini, cum membranam Schneideri intrant, eandem sibi parant mollitiem, ac primum par nervorum. At tamen, ut et altera pars audiatur, Cl. Loder (f) et Jantke (t) anosmiam perfectam a compressione primi paris nervorum ortam vidisse affirmant. Cl. Mery, qui ex observatione antedicta concluderet, nervum primum ad olfactus sensum parum modo conferre, notam ignorasse legem mihi videtur, ex qua organon unum alterius vices in statu morbofo subire intelligimus.

§. VI.

Cavum nasi proprium cum tot aliorum osium faciei cavitatibus connectitur, quae forsitan ea ratione ad sensum olfactus immediata conse-

(r) Progrès de la médecine. Paris 1697.

(f) Observat. tumor. scirrhol. in bas. cran. repert. Jen. 1779.

(t) Disertatio de odoratu abolit. Altdorf 1781.

runt, ut superficiem majorem particulis odoriferis prebeant, cum membranae quibus vestuntur, ramulis nerveis e pare trigemino ortis gaudent. Forsan vero cavitatum istarum copia odorati etiam ita intervitt, ut humorem vaporosum, quo semper repletæ sunt, sub quavis capitis directione in cavum nasi dimittant, membranamque Schneideri humectant. Constat enim, sensum odoratus extemplo aboliri, simulac membrana haec humiditate caret. Quod insigne probat, olfactum, ut tot aliae vitae organicae phaenomena, procesu chemicò *mutationis formæ* absolvi.

§. VII.

Inter gustum et organon odoratus sensum adesse maximum observamus. Qui olfactu destituti sunt, et gustum imperfectum habent; quod e communicatione ramulorum quinti paris cum nervo olfactorio intelligitur. Ex ea fonte etiam lacrimatio per irritationem membranae Schneiderianae producta facile explicatur. Pari ratione demum intelligimus, quare lux repentine et valide in retinam agens, sternutationem passim producere valeat.

§. VIII.

Notabilis sanguinis copia, arteriarum diversarum opè, organo olfactus advehitur, ut frequen-

tes haemorrhagiae narium probant, *Arteria* nimirum *sphenopalatina*, *arteria pterygopalatina*, *arteria ethmoidea anterior*, *ramus* denique *coronarius labii superioris* ex *arteria maxillari externa* ortus non contemnendam sanguinis copiam naso suppeditant, ut plures arteriarum faciei ramulos ad internam nasi superficiem migrantes tacendo praeteream. Qualemcumque modo partem sanguine abundantem reperimus, in ea auctiorem incitabilitatis gradum simul observare licebit. Sanguis enim ipse stimuli naturalis munere egregie fungitur; praeterea arteriosus oxygenio dives est, quod principium incitabilitatis permultis physiologis recentioribus valet. Addendum, ut rami arteriarum, qui nasum petunt, ex ascendente aortae trunco proficiscantur, qui sanguinem nuperrime modo oxydatum, et igitur oxygenio eo divitiorem, pulsant. Qui forsitan monere cuperet, neonatos sensu isto plane carere, cum tamen major sanguinis impetus versus caput in illis existat, is recordet quaevis, quod sinus cavitatesque osium ad exercitium odoratus facientes, hoc in aetate eo, quo decet, gradu non evolutae sint. Neque minus proportio, quae inter corticalem nervi primi ejusque medullarem substantiam adest, ad majorem minoremve sensus hujus aciem

facere mihi videtur. Quo magis nimirum medullaris abundat, eo eximior plerumque existat odoratus, credo. In foetu, facultatem odorem percipiendi plane carente, nervus primus, docente *Hildebrandt* (u), fere sola cinerea gaudet substantia. Huic sententiae etiam *Cl. Metzger* (v), calculum adjecit, qui contendit, ut corticalis substantia nervi primi bulbusque ejus cinereus, laminae cribrosae infidens, moderationi odoratus inserviat. Sic et mellitiei gradum, qui in nervo olfactorio variorum hominum et animalium mire differt, gradum aciei odoratus constituere, verisimillimum est. Utinam iis placeret, qui anatomiae comparatae pathologicaeque operam dicant, ideas hinc propositas accuratius inquirere.

§. X.

Distinguendum est inter odorem et odoratum, s. *olfactum*. Ille de objecto, hic de subjecto praedicatur. Quae odorem spargunt, particulis volatilibus aërem atmosphaericum petentibus ei-

(u) J. C. §. 2953.

(v) *Opus. anatom. et physiolog.* Goth. et Amstel. 1790. pag. 92.

que innatantibus gaudeant, necesse est. Hoc sine aëris vehiculo nullus datur odor subiectivus. Molecularum odoriferarum effluvium aucta aëris ambientis, aut corporis odori, temperie augeatur; quinimo mediante calore corpora hucusque inodora odorem fundunt. Sic vere et aestate flores suaveolentiores percipiuntur, quam qui hiemali tempore in cubiculis nostris coluntur, quippe qui aequali caloris moderamine carent. Sic electrum frictum odorem edit, *cujus autem expertus erat. Sed formae mutationem etiam multum, tum ad excitandum, tum ad augendum odorem conferre, animadvertimus, ea tamen modo sub conditione ut forma solidior in gas vaporemve mutatur.* Acidum muriaticum oxygenatum, odor fragrans, quam in aestate post pluviam sentimus, multaque alia naturae phaenomena, e legibus physico-chemicis explananda, dictum probant.

Non inspiratione solum, sed etiam expiratione odoratus organon eo magis afficitur, quo divitior sit aër spiratus particulis odoriferis, quae pulmombus non plane decomponuntur, exceptis iis gasis veri natura gaudentibus. Quin

imo nonnulla expiratione magis redolent, cum in pulmombus calefacta sint. Quod si non saepius percipiamus, e fallacia sensuum atque attentione nimis volubili explicandum erit.

§. XI.

Nullus sensuum relatione singularitatis atque varietatis cum odoratu comparari potest. Laudat unus odorem, quem alter tota mente averfat. Lex tamen ista data est, ut odores moderati plurimis placeant. Nihilominus pro individualitate et incitabilitatis varia conditione haec sexcentis sub formis modificatur. Verisimillimum mihi videtur, odoratus sensum non nisi mixtionis chemicae actum esse, in quo omne odoriferum, quod praesenti organi olfactus mixtione non affine sit, aut amicum, tunc temporis averfatur, et si eodem a subjecto alias forsitan appetebatur. Nausea, quam odores ciborum et aliorum objectorum olim amicorum in morbis quibusdam ciunt, non e consensu solum odoratus cum gustu, non ope modo imaginationis, sed ex hoc etiam fonte derivanda mihi videtur.

§. XII.

Hunc inter sensum, cerebrum ipsum totumque systema nervorum commercium exstat mirum idemque celerrimum. Deliquio animi odo-

ribus volatilibus naso applicatis cito plerumque succurrimus; affectibus soporosis prostrati remedio eodem idemque per atrium excepto non perquam difficili negotio in potestatem mentis suae redeunt; quin imo in ipsa asphyxia non raro de eximia auxilii hujus virtute edoceri opportunitatem nanciscimur. Nec sensuum externorum alius impressionibus subtilioribus eodem gradu patet, qua re ingeniosissimus *Rousseau* forte impulsus est, ut odoratum phantasiae sensum appelleret. Tantum vero abest, ut simpliciter huic sententiae annum, ut potius contendere audeam, ex omnibus notionibus sensuum externorum ope menti impressis nullas a phantasia tam difficile reproduci posse, quam quae odoratu perceptae sunt. Attamen libenter concedo, odoribus, nimirum blandis, phantasia in genere excitari posse; quibus etiam praestigiatos quam maxime utuntur, qui de evocatione daemonorum gloriantur. Sensus externi ratione usus in genus duplex dividuntur: nonnullorum scilicet ope voluptate quadam fruimur (Genussinne), ab aliis edocemur (belehrende Sinne) (x). A potiori

(x) *Mezger* Philosoph. medic. Anthropol. f. Aerzte und Nichtaerzte, Weisensf. u. Leipz. 1790 II. Abschn. §. 91. Divisionis hujus ideam longe ante *Mezgerum* jam *Cl. M. Herz* primus proposuit.

solum hanc denominationem fieri, quisque intelligit, cum sensus omnes utroque munere respectu quodam funguntur. Odoratus in hominibus magis voluptati praesidet; brutis vero edocendo multum praevalet. Instinctus enim brutalis, qui hisce animantium classibus rationis instar valet eo solummodo mediante expercetur. Quodvis animal odoratus acie insigne, nervum primum per totum decursum cavatum servat, testante *Zootomia*. Nec defunt exempla, homines etiam mira sensus hujus acie praevaluisse. Sic e. g. *Goekingk*, postquam ille novus atque amabilis, dummodo per plateas ambulavit, ulla sine fallacia divinare potuit, utrum amicorum unus sive alter e platea vicina obviam illi iret, antequam venientes oculis animadvertere licitum esset (y). *Cl. Haller* sublebant poma in domo proxima servata. Aethiopes plures odoratu distinguunt, fenexne vestigia sequatur, an juvenis. Attamen axiomatis instar, ut nonnullis placuit, confirmare nollem, aciem ingenii semper odoratus acie indicari.

(y) *Moritz Magazin für Erfahrungs- Seelenkund.* 1. Bd. 3. St.

Caput III.

Pathologia.

§. XIII.

Cum pauca de morbis nervi primi exhibere disertationis hujus objectum eligerem, nulla ratione ultra fines propositos progredi consului. Quibus partes adjacentes continentesque infestantur morbis fusius dirimere, eorum causas et differentias inquirere, medendi methodum hisce rite cognitis superstruere, partim a scopo meo atque angustiis, quibus disertationihcula cogitur, limitibus abhorret, partim jam graphice ab aliis peractum legimus. Sic nuperrime *Deschamps* (2) diligentem aequae ac ingeniosam historiam pathologico therapeuticam morborum, quibus cavum nasi proprium cavitatesque in istud hiantes afficiuntur, nobiscum communicavit, ut alios, quae singularum aegritudinum nasi monographiam ediderunt, aut scriptis therapeuticis sparsim mentionem illarum fecerunt, tacendo nunc praeteream. De affectibus modo, quibus primum par nervorum ipsum offenditur, mihi sermo erit.

(2) Abhandl. üb. d. Krank. d. Nasenhöhl. u. der. Nebenhöhl. überf. v. Dörner. Stuttgart 1805.

§. XIV.

Membrana Schneideriana, s. *pituitaria*, majori pro parte e medulla nervosa, demissis tunicis vaginalibus, constat, quae a primo pare et ramulis quibusdam paris quinti oritur et, testante *Hildebrandt* (a) aliisque, intime cum substantia laudatae membranae propria commixta est. Ita, ut tunica haec, instar retinae, quasi pro expansione nervorum ipsorum haberi possit.

§. XV.

Omnia fere phaenomena, quae nervi in statu sano morbofove offerunt, quaeque e varia eorum affectione proficiscuntur, sola medullae nerveae mutatione explicanda sunt, cum, docentibus experimentis iis cum institutis, nervorum vaginae membranaceae incitamenti capiendi aut omnino expertae conductorumque (sit venia vocabulo) quasi modo munere functurae, aut stimulum saltem leviori vix in gradu percipientes, multis vitae sunt. Nonnullae tamen formae morborum exstant, in quibus absque omni dubio vaginae nervorum affectae sunt.

(a) l. c. §. 1675.

Inflammanur nempe tunicae eorum. intumescunt fero (quod *Cotunni* in ischiade nervosa observavit (b); quin imo *Carelfon* (c) in nutritionis nervorum defectu veram febris nervosae causam ponit. Attamen facile cognoscimus, morbosam tunicarum conditionem fat cito mutationem medullae abnormem machinari debere. Quod ad nervum primum attinet, istum in cavo nasi a tunicis plane destitutum novimus.

XVI.

Quametsi ab immortalis quidem *Hallero* aliisque pro axiomate venditatum fit, nervum irritatum non in ipso loco adfecto sentire, sed sensationem modo in natali nervorum, cerebrum puto, percipi; quod etiam, qui sententiae huic favent, experimentis fat notis comprobare periclitati sunt: hoc tamen ita moderandum esse credo, quod, si sub vocabulo „sentire“ istam animae mutationem intelligamus, qua mediante *status corporis sui per incitamentum adplicatum mutati sibi conscia fit*, locum hujus perceptionis non, ni-

(b) De Ischiad. nervos. Vienn. 1770.

(c) Disfert. Disf. Symptomatol. et aetiolog. febr. lent. nervos. Goett. 1782.

si in cerebro quaerendam esse. in quo operationum mentis officina unica existat, libenter concedam; cum e contrario, si vocabulo dicto ita utamur, ut cum eo *mutationem in nervo affecto significemus, cujus ope stimulus qua talis percipiatur et facultas reagendi excitetur*, tunc profiteamur liceat, nervum irritatum etiam absque omni cum cerebro, medullave spinali, commercio ejusmodi phaenomena edere posse. Partes e corpore excisae, quarum nervi irritantur, scenam eandem edunt; idem valet de nervis affectis, postquam, caput a corpore reliquo detruncatum sit. Ganglia nervorum focum proprium (*Heerd*) formant, qui cerebri instar illis valet.

§. XVII.

Usitatisimum est pathologis, cum de statu morbofo nervorum disferitur, mox de *tensione, erethismo, crispatura*, mox e contrario de *relaxatione* etc. nervos accusare. Ac si iam perspectum haberemus, organa haec chordarum tensorum instar agant. Verum quidem est, anatomes hodiernae provectoris ope structuram nervorum filosofam dignoscere non possumus, nec minus famosa ratio medicos iam dudum a priori ad cogitationem illam perduxit, quod secundum legem

cohaesionis nervorum etiam actiones rectius essent intelligendae; denique nuperrime ingeniosus naturae scrutator idemque strenuus, Cl. Gall puto, ad oculum demonstravit, ipsam cerebri substantiam medullarem non, ut etiam nunc anatomicis visum est, massam mollem atque structuram organica omnino carentem esse, sed membranam continuam sexcentis iisque mirificis plicis reflexam. Attamen dynamica haec actiones nervorum demonstrandi methodus ab una nimis parte concepta mihi videtur, atque persuasum mihi est, chemicam rei contemplationem hinc certe minus negligendam esse, quam in aliis vitae phaenomenis explicandis.

§. XVIII.

Causas morborum nervorum primo e cohaesionis vitio petendas esse, ignorare non cupio. Cum nervi sint organa, non cogitari potest, quin non partes eorum cohaereant; hac enim sine conditione materiali ac formali structura quaelibet organica non datur. Quod vero ex antedictis possibile modo videtur, verisimilitudinis gradum superiorem sibi parat, cum medicaminum, qui nervorum morbis medentur, modum agendi penitius investigamus. Cortice nimirum peruvia-

no aliisque pharmacis illi quoad mixtionem similibus febris intermittens accessum arcemus, et instituto examine chemico quale, quae, principium praevalens in Cortice peruviano, Salicis, Angusturae etc. reperimus? adstringens. Domitores nervorum aegrotantium agnoscimus omnia pharmaca, quae excitantium nomine insigniuntur. Quale, quae, phaenomenon applicatis hisce primum sensibus se offert? contractio fibrae, qua semper cohaesio augetur, cum contractio haec modo durationis et gradus ratione modica sit. Ejusmodi organorum affectibus relaxantia auxilium saepe praebent egregium. Qua scilicet ratione? cohaesionem diminuendo (d). Sed altera affectionum nervorum causa certe in eo versatur: an stimuli mediate, immediateve nervos tangant. Substantiae nervorum medullari tam teneri, ne stimulis nimis offendatur, artificio succurrere multiplici natura non neglexit. Partim enim vaginae nervorum ipsae vim incitamenti moderantur; partim ubi papillae nervorum medullares prominent aut nervus integumenta prorsus dimittit, medulla nervosa cute peculiari (uti in peripheria corporis

(d) Confer, Balk, Comment. virium vital. disquisition. atque febrium Patholog. sist. Dorpat 1802.

et fede organi tactus), aut muco defenditur, quo adminiculo artifex admiranda etiam in organo odoratus utitur; partim denique scopum tuendi medullam nervorum denudatam ea quidem ratione adsequi laborat, ut stimulum, antequam ille medullam ipsam aggreditur, per alia traducat organa et sic aciem ejus temperet, quod in constructione oculi humani jure admiramur. Quae tutela si nervos quoslibet destitutos reperiamus, non potest fieri, quin a moderato ipsemet incitamento nimis moveantur. Tertiam denique causam affectionis nervorum in *mutatione mixtionis materiae* suae quaerendam esse, mihi adridet. Examen substantiae nervorum chemicum testatur, organa haec ex partibus constitutivis composita esse, quae prae ceteris facile sunt decomponendae. Decompositio scilicet ista, lege artis domesticae instituta, aquam ammoniacali sale impregnata, olei, alcalique volatiljs quantitatem parvulam, multum gas hydrogenici, admota flamma per longius temporis spatium atque igne clariore ardentis, quam quod ex aliis corporibus lucratur, suppeditat. Quantitas olei illam longe vincit, quae ex musculis extorquetur (e). In

(e) Soemmering de corpor. human. fabric. Tom. IV. Frct. 1798. pag. 366.

vita iam normali mutatio materiae continua observatur, qua mediante omnia vitae phaenomena talia primum dantur. Haec res ut ita se habeat, quibusque legibus absolvatur, argumentis haud levioribus demonstrare vir quidam ingenii acie non inops periclitatus est (f). Lex eadem sine dubio etiam vitae morbosae imperat. Nec minus opinio haec iis quidem adminiculis experientia genuina datis sustentatur, ut morbis nervorum illa potissimum pharmaca convenienti citoque medeantur, quae sub gasis forma propinantur, aut particulis constitutivis volatilibus divitiore sunt. Quem insuper fugit, ut medicamina omni stimulo destituta in momento fere applicationis egregium in morbis ejusmodi auxilium praebeant, quod nulla alia ratione explicari potest, quam ope decompositionis secundum legem affinitatis chemicae. Sic carbonas Magnesia, ut uno modo exemplo instar argumenti utar, colicam saepius valde dolorificam sopit: qua, quaeritur, methodo? — ea certissime solum, cum gas intestinorum nervos rodens absorbet. Electricitas, Galvanismus, Magnetismus, caloris adpli-

(f) Doutrepont Diss. perpet. mater. organico-animal. vicissitud. Hal. 1798.

catio etc. — nulla ut mihi videtur, alia ratione agunt. Vitam organicam tum sanam, tum pathologicam legibus potissimum chemicis regi, jam longo ex tempore iis non displicuit, qui, ab hypothesi omni amica alieni, oculo attento et perspicaci naturam rerum disquaesiverunt, inter quos modo Cl. *Mayow* (g) nominasse sufficiat.

§. XIX.

Quales etiam partium astrarum affectiones pathologicas objectum scrutationis eligamus, in nullo tamen *conferfus* rationem eum in modum habendam esse existimo, quam cum de morbis nervorum agitur. Inter omnes constat, qui in dissecandis cadaveribus versati sunt, nervum sympathicum magnum et trigeminum, qui hanc etiam ob causam sympathicus medius nuncupatur, cum tot aliorum nervorum plexuumque nervosorum ramulis connecti. Nec minori jure nervus septimus sympathici parvi nomen sibi paravit, cum de multifario hujus cum aliis nervis nexu persuasum nobis est. Quin imo omnes nervos inter se cohaereant convictos nos haberemus, si

(g) Chemisch-physiologisch. Schrift. übers. von Köllner. Leipz. 1799.

liceret et minimos illorum ramulos cultro anatomico persequi.

§. XX.

Omnes, quibus nervi offenduntur, morbos in duplicem classem redigere, aut eorum ex longo iam tempore non displicebat. *Hill* (h) contendit, organorum horum aegritudines aut ab augmento, aut ab inopia sensibilitatis proficisci. Plurimi ejus vestigia secuti sunt, quorum multi non defunt, quin explicationi e legibus chemicis faveant. Nec erit, quod hac de ratione rem definiendi objurgentur, cum attentione modo mediocri experiri licet, ut, qui nervorum affectibus obnoxii sunt, ab aëre humido, impuro, excretionibus normalibus diminutis, aut suppressis, cito atque mirum in modum laedantur, quibus omnibus materiae organicae mixtio plus minusve inquinatur.

§. XXI.

Sed misis hisce, quae de Pathologia nervorum generali hucusque attuli, spatium nunc

(h) The construct. of the nerv. and caus. of nervous disorder. Lond. 1758.

monet, ut ad objectum disertationis peculiare animum accingam. Quadruplex, ni fallor, datur modus, quo organa sensuum omnium, ne excepto quidem odoratu, vitari possunt: *incitabilitate nimirum nimia, debilitata, plane abolita, denique mutata.*

Genera modo tria priora Cl. Pfaff (i) recensuit, ubi refert, quatuorplex ratione organa sensuum morbis mutantur; quartum nempe nostrum ignorare videtur. Videtur autem modo, cum mox (k) docet, ut non gradu solum, sed ratione etiam, qua incitamenta ab alijs percipiuntur, organa sensuum laborent. Quaternariam hanc statuum morbosorum classem secutus operam navabo, ut omnes, quae mihi innotuerunt, affectiones nervi primi pathologicae hoc ex ordine singulatim recensentur.

§. XXII.

I. *Incitabilitas primi paris nervorum nimis aucta (Hyperaesthesia).*

A) *E stimulo mechanice agente Cl. Balk,*

(i) Grundriss einer allgem. Physiol. u. Patholog. Kopenhagen 1801, §. 273.

(k) l. c. §. 275.

Profesor pathologiae et Therapiae in hac Universitate Caesarea, memorabilem morbi historiam ab illo observatam mecum communicavit, quam pace viri laudati hinc repetere liceat.

Vir triginta circiter et quod excurrit annorum, aestivo tempore, absque omni causa nota, sensu titillationis notabilis in superiore cavinarium parte repentine aggressus fuit, qui per singulas horas eum in modum augebatur, ut non perquam inquieta et fere infomnis transiret. Tempore matutino sequente sternutatio quasi convulsiva fere vix interrupta accessit, qua demum cessante sensus titillationis versus frontem sensim ascendebat. Sequebatur nunc cephalalgia ab initio premens sinuumque frontaliu[m] regionem occupans, ac in coryza sicca adesse solet. Mox vero febris accessit, sub qua dolor iste mirum in modum auctus fuit. Cephalaea haec per quatuor hebdomades continenter aegrotum excruciat, ita, ut vix per horam unam alteramve quiete fruebatur. Membrana Schneideriana semper sicca atque subdolens reperiebatur, quin imo convulsiones clonici musculorum faciei, deliria, totius fere corporis emaciatio cum convulsibilitate universali accedebant. Morbus iste exquisitissima contra remedia rebellis exitum lugubrem minari

videbatur, cum denique Linimentum ex unguento Neapolitano, oleo Cajaputi et Camphora compositum, regioni sinuum frontalem illitum, admisis simul vaporibus ex infuso herbae *Hiosciamini*, radicis *Valerianae* spirituque *Salis Ammoniaci* sternutationem laboriosam excitabant, cujus demum ope vermis longitudinis semidigitalis, fetis brevibus acuminatis per totum corpus munitus excludebatur. Hoc facto symptomata omnia extemplo diminuebantur aegrotusque, remediis aptis adhibitis, mox in sanitatem pristinam redibat. Causae hujus animatae aditum paucis eruere restat, qui vero non difficili negotio intelligitur, cum addam, ut vir iste consueverit, peracto prandio in hortulo suo somnum capere.

B) E. Catarrho. Catarrhum in initio morbum esse plerumque hypersthenicum in eo medici experientissimi conveniunt, qui de eo commentati sunt. *Burserius* (l), *W. Grant* (m), *Sel-*

(l) Anleitung zur Kenntn. und Heil. d. Fieb. Giefs. u. Marb. 1785, II. Bd.

(m) Neue Beob. üb. d. epidem. Catarrhalfeib. etc. Leipzig 1778.

le (n), *J. P. Frank* (o), *S. G. Vogel* (p); ut multos alios citando praeteream (ne ingentem librorum catalogum adducens riactabundus multis videar), instar omnium nominasse iuvabit. Catarrhum non solum organorum muciparorum membranae pituitariae insidentium affectum esse, sed potius nervum primum ipsum laedere, de eo saltim mihi iam dudum persuasum est. Non raro enim in altiori hujus morbi gradu vertiginem observare, quae totum gradus hujus decursum symptomata constans sequitur, occasionem nactus sum, quod etiam ab aliis scriptoribus comprobatur. Praeterea tot symptomatibus, a consensu nervorum modo derivandis, catarrhum febrilem concomitatum vidimus: sternutatio creberrima, horror semper recurrens, cutis peripheriae, contractio spastica, gustus diminutio, quin imo delirio, animi hebetudo, incitabilitas nervi optici nimia, sententiae meae favent. Mox catarrhus in astheniam abit et tunc contraria symptomata incitabilitatis nervi primi diminutae exsurgunt.

(n) Medicin. clinic. Berl. 1797.

(o) Epitom. d. curand. hom. morb. Lib. V.

(p) Handb. d. pract. A. W. II, Th. Stend. 1785.

Muci nasalis paratio auctior et effluxus non symptomata statim morboſi primarii, ſed incitationis conſensualis ſecundariae omni iure habenda ſunt.

C) *Convulſiones* ſaepe nimia incitabilitate primi paris nervorum producentur, quod e conſenſu paris hujus cum quinto, et illius cum tanta organorum aliorum copia, intellectu non difficile eſt. Sic *Epilepſiam* ex odoratu nimis affecto ortam eſſe legimus (q); *Trismus* e piſo naribus immiſſo in infante obſervavit Cl. *Balk*, quo extracto interna naſi ſuperficies inflammata apparebat. Sternutatio ipſa, quae nervum primum ſemper nimis irritatum indicat, quid, quaero, eſt? ſi convulſionem appellare nolles. Letiferam fieri illam poſſe Cl. *Gruner* (r) contendit et ejuſmodi ex illa eventum in ſcriptis *Bonneti* (ſ) et *Morgagni* (t) invenimus. Alicubi legiſſe recordor, ut in morbo peſtilentiali longe lateque ſaevienti

(q) *Ephemerid. Natur. curioſor. Ann. IX. Dec. III.*

(r) *Phyſiolog. u. Patholog. Zeichenlehr. Jen. 1794. §. 123.*

(ſ) *Sepluchret. ſ. anat. pract. Genev. 1679. L. 1. Sect. X.X.*

(t) *De ſedib. et cauſ. morbor. Ebrodun. Tom. 1. Epit. XV. No. 26. 27. 28.*

prognofis fere non fallax mortis infantis e ſternutatione accidente deſumi potuerit; quae forſan letalem ad cerebrum ipſum metaſtaſin indicaret. Sternutantibus tunc temporis exoptabatur: „Gott helfe Dir!“ Quo ex tempore mos, ſternutanti ſalutem apprecandi, fortiter derivandus erit. Aegrotum e ſiniſtra nimiaque ptarmicorum adminiſtratione *Tetanus* eſſe perpeſſum, *Hippocrates* (u) refert.

D) *Nauſeam*, imo *hyperemefin* ſaepius eadem e fonte promanare, experientia docuit. Dantur homines, qui tranſpirationem corporis ſui, aut aliorum, eſſi non ultra gradum normalem ammoniacum redolentem, ita gravem percipiunt et averſant, ut, mediante phantaſia, quae ſenſationem iſtam ſemper auget et reproducit, ad nauſeam vomitumve facillime moveantur.

E) *Anxietates* et *Syncope* non perquam raro eandem cauſam agnoſcunt. Conſtat enim, homines dari, qui praefenti ſeſe, eſſi illis inſciis, ſtatim angore involuntario, qui ſaepius in deliquium animi abit, corripiuntur. Nescio, an alia ulla ratione phaenomenon hoc intelliges, niſi naſia odoratus incitabilitate et acie, quae ta-

(u) *Oper. omn. cur. v. d. Linden. De intern. affect. XIV.*

men claram in anima conceptionem de impressione facta producere nequit, rem explicare labores.

(F) *Tumores in membrana pituitaria inflammatorii.* Tumores ejusmodi duobus in aegrotis, quorum unus Nicotianam naribus ducebat, alter vero ab illa abstinere, observasse, Cl. *Conradi* (v) refert. Noduli scilicet intumescere duri, inflammati, sponte evanescentes, qui nunquam in suppurationem abibant. Incitabilitatem nimiam pulvae nervosae natae aniam hisce tuberculis praebuisse, verisimillimum mihi videtur, cum symptomatum verae inflammationis laudatus auctor nullam mentionem fecit. Sed inflammatio ipsa genuina, ni fallor, sine praevio incitabilitatis nervorum augmento cogitari nequit, quippe quod causam primariam auctae facultatis stimulum capiendi continere mihi videtur. Arteriae solum tinguntur nervis, et modo in hoc vasorum sanguiferorum genere, sedes inflammationis reperitur. Idem contendit Cl. *Reil* (x). Ubi venae inflammatae videntur, hoc modo in vasis

(v) Handbuch d. patholog. Anatom. Pag. 485.

(x) Ueb. d. Erkenntn. u. Kur. d. Fieb. Hall. 1799. II. Bd. Pag. 269.

istis cordi proximis, quae nervis non caerent, aut in tunicis eorum observatur, quarum in textura arteriolae scatent. Me quidem non fugit, a nonnullis dictum esse, quod minimi arteriarum ramuli nervis defuturi sint, quibus autem calculum adjicere longe a me alienum est.

(F) *Apoplexia.* Si a priori rem etiam modo perpendimus, credibile iam nobis videbitur, ut dirus morbus iste ac exitiosus interdum ex nimia primi paris nervorum incitabilitate oriri possit, quod experientia eheu! fat comprobatum legimus. Odorem graveolentem liliorum alborum hunc exitum peperisse narrante Cl. *Heister* (y) pro comperto habemus. Historiam e catarrho apoplectice deleti Cl. *Lepetz de la Cloture* (z) nobiscum communicavit. Eundem morbum a solo vini odore natum vidit *Zacutus Lusitanus* (a). Praeunte sternutatione enormi hominem apo-

(y) Medic. Chirurg. u. anatom. Wahrnehm. Rost. 1753, 1. Th. 469. Wahr.

(z) Anleit. f. Aertz. n. Hippoc. Grundf. epid. Krankh. z. beobacht. Leipz. 1785, pag. 475.

(a) Hist. Med. pract. L. 1. pag. 33.

plexia jugulatum esse *Fabricius Hildanus* (b) memorat.

G) Denique hinc recensenda venit *fallacia odoratus subjectiva*, qua ductus aeger odorem sentire credit, quem adstantium nullus percipit. Hanc saepius in morbis observari licet atque in compendiis semiologicis omnibus de eo edocemur, qua ratione illa ut signo diagnostico in morbis uti possumus. Auctam hoc in casu adesse incitabilitatem, qua affectiones nervorum aliorum, qui cum pare primo mediate connectuntur, ita percipiuntur, ac si sensus odoratus ipse immediate ab iis motus esset, fateri nemo dubitabit. Statum istum primi paris nervorum pathologicum in morbis nonnullis acutis adeo provectam reperimus, ut aeger aërem atmosphaericum, aliave corpora prorsus inodora, redolentia accuset.

§. XXIII.

II. Incitabilitas primi paris nervorum debilitata.

Vitium hoc tum morbis aliis causam offert, tum ex aliis proficiscitur.

A) Hanc inopiam interdum aliquid conferre

(b) Centur. IV. Observ. XII.

ut *mentis facultates languescant*, vix negari potest, cum modo oculis attentis circumspicere velimus. Nec difficili negotio phaenomenon hoc e legibus psychicis intelligitur. Remotis stimulis, aut deminutis, quaelibet vis organica directe debilitatur. Notum est omnibus, ut nulla res ad objectum intelligentiae (des Verstandes) adscendere possit, quae non antea ope sensuum externorum percepta et tunc demum a sensu interno (phantasia scilicet) amplificata, moderata, varie ratione mutata aut composita sit. Qui odoratus acie normali destituitur, idearum claritate, quae hoc solum sensu percipiuntur, etiam careat necesse est. Experientia sententiam meam, hinc a priori deductam, egregie probat. Neminem inter aegrotantium lectos rite versatum fugit, ut gravedine chronica correpti fere semper mentis simul hebetudine laborent. Ceterum nullus dubito, quin aequi rerum censores concedant, hoc in loco dicta illis non contradicant, quae alibi (§. 12.) proposui, cum *Rousseauwii* ideam moderari periclitatus sim. Sagacitatem ingenii (Scharfsinn), quae ad condendenda systemata necessarie requiritur atque sensuum externorum acie, sicuti fundamento suo primario, nititur, sensus unius alteriusve hebetudine semper aliquomodo debili-

tari, extra omnem dubitationis aleam positum mihi videtur.

B) *Amaurosin* aut morbum consecutivum e coryza et superveniente febris catarrhali, observavit Cl. Fr. Hoffmann (e) in puero XII. anno. *Idem* (d) experientia ductus inter remedia morbum istum dirum discutientia refert *sternutatoriorum* usum. Consensus oculi cum naribus nervorum ope meminisse favabit, ut phaenomenon istud perfecte pateat.

C) *Amniam odoratus* hebetudinem chronicam fecit esse, quae odoribus excitantibus (v. c. Spiritu Salis ammoniaci conubio cum oleo Cajaputi et Balsamo *vitis Hoffmanni*, ope chartae bibulae naribus immixtis) valde sublevabatur, Cl. Balk in praxi propria expertus est et mecum communicavit. Sit multis etiam hominibus consuetum est, ut pulverem Nicotianae naribus hauriant eum rei cujuslibet recordari in hoc momento illis negatum sit; quo facto non raro scopum attingunt. Quam imo saepissime obser-

(e) Medic. ration. syst. Hal. 1739, Tom. IV, P. IV. Cap. IV. observ. 4. pag. 128.

(d) Med. ration. syst. Tom. IV. Part. IV. Cap. IV. §. VI. pag. 40.

vare hinc, ut alii eodem in casu atrium narium cum septo ejus digitis ita fricent, ac si pulvere Nicotiano uterentur, eodemque simul tempore profundius lenteque inspirent. Notatu dignum mihi videtur, ut nervus primus ab ortu suo, ad nares tendens, illas cerebri regiones tangat, quas Cl. Gall organa peculiaria generum memoriae variorum designavit.

§. XXIV.

Causae existant variae, quae ad incitabilitatem nervi nostri deminendam faciunt. Principes earum paucis modo verbis referre, instituti ratio nunc a me postulat.

A) *Laesiones et destructiones mechanicae*. Ipsum Cl. Balk exempli causa in medium adducere, pace sua audeo. Puer vix triennis lapsu infans os nasi dextrum ita laeserat, ut in cavum narium insigniter esset impresum. Sanatus quidem fuit, eo tamen remanente vitio, ut cavum nasi dextrum sinistro multum angustius sit. Ex hoc tempore non solum plures per annos, et ad virilem fere usque aetatem, coryza sicca habituali et singulari mucii narium spissitudine ac foetore vexatus est, sed odoratum ita hebetem acqui-

vit, ut odorem florum plurimum non fortem vix sentire possit.

Ratione non abfimili *polypus* narium odoratus aciem debilitat, ut Cl. *Richter* (e) plurimique alii, quorum catalogum possem ingentem colligere, exhibent. Si autem *polypus* parvus esset, nariumve alteram modo occuparet, non necesse est, odoratus debilitetur aut omnino pereat. — Non aliter *exostoses* hunc effectum producant.

B) *Catarrhus febrilis chronicus, et habitualis*. Testimonium hujus rei afferre opus omnino supervacaneum puto, cum inter omnes constat, rem ita se habere. Sic etiam phaenomenis hujus explicationem silentio premam, ne lectorum intelligentiae diffidere videar.

C) *Affectio membranae pituitariae pathologica, imo ejus desorganisatio*. Exemplum tale ab Cl. *Hopfengärtner* graphice relatam legimus (f).

D) *Abusus pulveris Nicotianae et Narcoticorum*. Qua ratione haec statum istum producant nulla amplius demonstratione eget. Ut vero vera producatam experientia quotidiana edocemur.

(e) *Anfangsgründe d. W. A. Götting. 1787. I. Bd. §. 565.*

(f) *Hufeland Journ. d. pract. A. K. VI. Bd.*

E) *Mucus narium nimis inspissatus, Mechanica fere ratione agit*; in febre catarrhali, pituitosa, in hominibus temperamenti phlegmatici saepe frequenter occurrit.

F) *Asthenia et anaesthesia nervorum universalis*. Connata fit, ut fieri interdum solet, aut debilitate directa indirectave acquisita, nullo discrimine habebit, etsi quoad therapiam non ejusmodi fit.

G) *Status imperfectus organorum odoratus naturalis*, qualem in prima infantia ac in senectute provectiori, secundum leges e Physiologia iam notas, reperimus.

§. XXV.

III. *Incitabilitas primi paris nervorum plane abolita. (Anosmia)*. Gradu modo majori eosdem producit effectus, quos in sectione II^{da}, ubi de incitabilitate odoratus debilitata sermo fuit; in medium adduxi. Nec minus e causis iisdem oritur, quae illic allata leguntur, cum modo vehementiores agant. Mechanicis nimirum: paralyti et debilitate universalis, polypo utramque nares occludente (g), et sic porro, quibus

(g) *Nic. Tulpius Observat medic. Amstel. 1652, Lib. Cap. XXVI.*

etiam ozaena adnumeranda est. Inter causas rariores referri merentur:

A) Tumor nervos olfactorios comprimens, qualem Cl. Loder (h) vidit.

B) Intumescencia enormis totius membranae pituitariae, ulla absque inflammatione. Cavum narium tunc plane repletum et obstructum cernitur. Oritur e relaxatione membranae dictae et polypo narium mucoso affinis habetur. Cl. Richter (i) et Acriell (k) mentionem ejus fecerunt.

C) Superexcitatio nervi. Hoc quidem jam e catarrho graviore plerumque accidit, sed artificialiter etiam abusu sternutatoriorum fieri potest (l).

D) Potentiae absolute deprimentes. Balneum frigidum praesente gravedine sumtum effectum talem edidisse refert Cramer (m). Sic etiam pulverem Nicotianae involucris plumbeis diu servatum, si metallum oxydet eoque venenetur.

(h) l. c.

(i) l. c. §. 572.

(k) Chirurgisch. Vorfäll. 1. Bd. pag. 166.

(l) Ephemerid. Natur. curios. Dec. II. Ann. V.

(m) Memorabil. Cent. XIII. No. 65. Observ. 151.

eadem ratione impetum perniciosum moliri posse, nullus haesito.

E) Caries osium nasi, aliorumve, quae ad formandas cavitates in Cavum narium hiantes faciunt.

Hanc non solum a Cl. Peyer (n) et Hundertmark (o) sed multis etiam ab aliis causam anosimiae iure accusatam esse, neminem fugit in praxi chirurgicae reque ejus literaria bene versatum.

F) Vermes. Anosimiae e pathologia animalia historiam nobis Cl. Sandfort (p), Wohlhart (q) aliique naraverunt.

G) Mensum defectus. Odoratum hac ex causa plane aboliri posse, Cl. Lentin (r) certiores nos fecit atque casu singulari illustravit.

H) Nervi primi ipsius desorganisatio varia, qualis passim observata est. Qui conspectum systematicum omnium anosimiae causarum ulteriorem cupit, serpra nosologica Cl. Sauvages, Macbride, Cullen, Sagar, Linnæ, Vogel, Daniel, Plouquet evolvat, quaeso; cum indicem specterum hujus

(n) De morbis narium. Basileae 1756.

(o) De Ozaena, vener. 1758.

(p) Exercitiat. acad. Leid. Vol. II. 1785. pag. 130.

(q) Dissert. De vermib. per nar. excret. Hal. 1768.

(r) Beobacht. einig. — Krankheit. a. Oberharz, 1 Bd.

vitii omnium recensere dignitatemque taxare, partim a scopo meo alienum est, partim juveni non decet.

§. XXVI.

VI. *Incitabilitas paris primi nervorum mutata.* Primum locum sine dubio

A) *Antipathia* sibi vindicat. Vocabulo isto, ut constat, *aversionem rerum quarundam involuntariam, nulla ratione superandam, spasmus, convulsionibus, syncope concomitam, designamus, Homines multi ut vicinitatem felis ferre nequeant, iam supra monui. Vladislaus, Poloniae Rex, convulsionibus, quinimo syncope, corripiebatur, simulac odorem pomorum sentit. Cubavius refert, patrem quemdam semper deliquum animi cum praevia anxietate perpesum esse simulac in vicinia filii sui proprii versaretur, etsi filius ita absconditus fuerit, ut impossibile videretur, patrem praesentiam ejus ulla ratione suspicari posse. Qua, quaeso, incitatione alia aenigma hoc solves, nisi concedas, perceptionem odoratus ope factum esse, quamvis impressio non ad claritatem conscientiae (zum deutlichen Bewusstseyn) ascendere. Huic non absimilis est res illa ab omni dubio vacua, quod feminae hy-*

stericae ab odore suaveolenti (v. c. Moscho, Ambra, aquis odoratis „parfums“ dictis etc.) pathologicè afficiantur, cum foetidos e contrario odores optime ferant, imo istis vitium corrigatur, quod e suaveolentibus ortum fuerit.

B) *Imbecillitas idiosyncratica constans, odorem peculiarem sentiendi, odoratus sensu insuper nulla ratione morbofo.* Exemplum memorabile hujus argumenti Cl. *Blumenbach* ab Anglo quodam refert, cui flos *Resedae odoratae Linn.* semper inodora videbatur, etsi praeterea insigni sensus nostri acie praeditus esset.

C) *Nec non Phantasiae ope interdum mutatio peculiaris, mira, ea vero plerumque transitoria, ratione percipiendi in sensu odoratus producitur. Quam multifaria sit, omnibus fatis notum est, qui naturae phaenomena oculo attento persequi con- fuerunt.*

Caput IV.

Therapia.

§. XXVII.

Neminem fore non dubito, qui expectet, ut formarum morbosarum omnium, quibus par ner-

vorum primum affici potest, medelam specialio-
rem nunc adornem. Haec partim vires juvenis
in arte tironis longe superant, partim speciminis
hujus limitibus arctioribus profus non complee-
tuntur, partim denique a natura rei ipsius recu-
santur. Generalia potius quaedam adferre satis-
faciet. Ordinem liceat eundem sequi, quo in
parte pathologica usus sum.

§. XXVIII.

I. Nervi primi intractabilitas nimia. Sequentia
huic praecepta accomodare iuvabit.

A) *Removeantur incitamenta cognita: mecha-
nica sive, sive Chemica, sive vitalia.* Mechanicis
Chirurgia auxiliis aptis atque manu succurrit.
Chemica atque vitalia pro natura diversa, diver-
sis quoque remediis arte perito sat familiaribus
coercenda sunt. Methodo generali debilitante
et sopiente hinc potissimum opus erit.

B) *Si causa incitationis nimiae aut erui non
possit, aut eruta immediate eliminari recuset, tunc
ad methodum sic dictam negative sopientem confu-
giendum est, quae scilicet incitationis augmentum
removet.* Huic respondet situs capitis superior,
atque tenis refrigeratio, quies facultatum mentis
perfecta, praesertim phantasiae; remotio lucis,

aut moderatio ejusdem; aëra ab omni odore liber,
frigidiusculus, paulisper humidus, liquores mu-
cilaginosi tepidae naribus haustae; pediluvium
acre tepidum, aliave revellentia.

C) *Incitamenta remota accesoria eruenda
sunt et removenda.* Abdomen hinc potissimum
respicendum erit, ne in illo aliquid scateat, quod
sanguinis versus caput congestionem promovere
possit.

Vaenaeffectio modica in pede, cum plethora
haemorrhoidalis urget; enemata emollientia, le-
niter antispasmodica, evacuantia, cum spasmi adsint
aut colluvies; nec non somenta, frictiones etc.
optime conducent. Etiam respectus ad nervum
sympathicum magnum, ad aequalem sanguinis di-
stributionem etc. non negligendus erit.

§. XXIX.

**II. et III. Intractabilitas nervi olfactorii debi-
litata aut plane abolita.** Cum status isti non nisi
gradu diversi iure habendi sunt, methodus ea-
dem utrique respondet.

Excitantibus hinc utendum erit, quae pro
gradu, complicatione atque duratione morbi,
constitutione, aetate, sexu, idiosyncrasia aegroti,
differenti in gradu ac forma eliguntur. Qua ra-
tione methodus excitans sagaciter administranda